

Slednikov A.

De Latinitatis vivae seminario Ottiliensi anni 2014

[Stable URL: <http://elar.uniyar.ac.ru/jspui/handle/123456789/3503>]

[Публикация работы:]

Slednikov A. 2014: De Latinitatis vivae seminario Ottiliensi anni 2014 //
Vox Latina. T. 50, 534-536.



НАУЧНО-ОБРАЗОВАТЕЛЬНЫЙ
ЦЕНТР АНТИКОВЕДЕНИЯ
ЯРОСЛАВСКОГО ГОСУДАРСТВЕННОГО УНИВЕРСИТЕТА
ИМ. П.Г. ДЕМИДОВА
ЯРОСЛАВЛЬ, РОССИЯ

THE SCIENTIFIC & EDUCATIONAL
CENTRE FOR CLASSICAL STUDIES
AT YAROSLAVL DEMIDOV STATE UNIVERSITY
YAROSLAVL, RUSSIA

DAS WISSENSCHAFTLICHEN FORSCHUNGS- UND
STUDIENZENTRUM FÜR DIE GESCHICHTE,
KULTUR UND RECHT DER ANTIKE
DER STAATLICHEN DEMIDOW-UNIVERSITÄT JAROSLAWL
YAROSLAWL, RUSSLAND



РОССИЙСКАЯ АССОЦИАЦИЯ АНТИКОВЕДОВ
RUSSIAN SOCIETY OF CLASSICAL STUDIES



НАУЧНО-ИССЛЕДОВАТЕЛЬСКИЙ И ОБРАЗОВАТЕЛЬНЫЙ ФОНД
«ЦЕНТР ИЗУЧЕНИЯ РИМСКОГО ПРАВА»
ЯРОСЛАВСКИЙ ФИЛИАЛ
THE RESEARCH AND EDUCATIONAL FOUNDATION
“THE CENTRE FOR ROMAN LAW STUDIES”
YAROSLAVL BRANCH



ЯРОСЛАВСКИЙ ГОСУДАРСТВЕННЫЙ УНИВЕРСИТЕТ
ИМ. П.Г. ДЕМИДОВА
YAROSLAVL DEMIDOV STATE UNIVERSITY

DE LATINITATIS VIVAE SEMINARIO OTTILIENSI ANNI 2014¹

Huius anni primum Societatis Latinae seminarium regulare exhibitum est moderatrice Dr.ice Sigride Albert Saravipontana inde ab die 14^o m. Iul. usque ad diem 18^{um} m. Iul. in Benedictinorum archiabbatia Ottiliensi in Bavaria sita. Qua confluerunt homines latinizantes diversarum nationum: sex Germani (una cum Sigride), duo Helvetii, una Itala, unus Hispanus, unus Russus. Alii haec seminaria inde ex P.re Caeleste moderatore frequentantes assidui sodales facti sunt; alii autem, velut auctor huius commentarioli, primo participaverunt. Interfuerunt ibi senes senioresque, adulescentes iuvenesque; illi usūs linguae Latinae experti, hi nondum satis periti, tamen viā ad Latinam linguam vivā voce proferendam euntes. Sigridis quidem profundam linguae scientiam admirari non desino, tantadem est eius peritia rationum docendi. Condiciones institutorias ita proposuit, ut participibus iterum iterumque necesse esset animum cogitationesque intendere ad unumquodque thema



*Participes seminarii Ottiliensis.
[Photographēma die 23 m. Iul. a. 2014 factum.]*

tractandum, nihilominus benevolentīā ac concordīā praevalentibus nos laboribus fatigati esse non videbamus. Itaque senas horas Academicas cottidie habuimus, in quibus sola Latina lingua diversimode et variatim exercitata

est.¹

Ut ad res singulas veniam, divulgato agendorum ordine iam erant vocabula ad cibum cottidianum pertinentia tractanda; Petri Bruegel Senioris pictura c.t. «Cucania» (quam Germani «Schlaraffenland» vocant) nec non imagunculae de puero in periculo versato et cane fideli describendae; vocabulum unicuique suum ita explicandum, ut ceteri quid esset, coniecturā essent assecuturi; narratio quaedam ex Josteini Gaarder Norvegi fabula milesia c.t. «De Venditore fabularum» (Theodisce: «Der Geschichtenverkäufer») deprompta primum auscultanda, deinde disserenda; ludi grammaticales in accusativum cum infinitivo et consecutionem temporum faciendi; fabulae cum vocabulo unicuique suo excogitandae (habuimus enim pensum domesticum!) et alia amplius. Iterum et saepius auctores sive Renascentiae sive huius aetatis ad disserendum praebiti sunt, quia lingua Latina revera erat non tantum lingua Romanorum, sed inde ab antiquitate Romana lingua totius Europae facta est, eadem usque adhuc manet.²

Nimirum extrainstitutorio quoque tempore in cenatione edendes, in conclavibus domūs exercitiorum vel in publico intra muros monasteriales versantes Latina tantum lingua usi sumus. Valde miror me brevi, iam ad tertii diei vesperem plus minusve volubiliter (vel potius, melius, quam prius) coepisse Latine loqui. Quod tamen attinuit modo ad simpliciores res cottidianas explicandas, non tamen ad difficiliora themata institutoria; non valui speciatim Latine disputare neque fabulas auscultatas renarrare. Cum igitur de talibus similibusve ageretur, per omne tempus tacui, verumtamen exercitamentis scriptis, velut epistulis electronicis sive symbolis Latinis iam dudum consuevi. Ceterum ipsam facultatem loquendi, quam mihi ibi acquisivi, deficientibus rursus loquendi opportunitatibus iam amittere sentio. Ex qua re doleo!

Etiam nos inter nos amicitiam iunxisse magni momenti est. Certe iucundissi-

1 Non plus quam semel nos Sigridem fuse lateque Theodisce loquentem auscultavimus, cum die Mercurii in aedibus scholaribus acroasin «De laude propria» faceret convenientibus monachis, magistris, discipulis, aliis.

2 De statu Latinitatis nostro tempore promovendo scripsit Prof. Andreas Fritsch Berolinensis in acroasi, q.e. «Die Didaktik des Lateinunterrichts in der Bundesrepublik Deutschland. Versuch eines kurzen Überblicks.» In: *Forum Classicum* 4 (1999), p. 88: «Wir verstehen das Fach Latein (mit Manfred Fuhrmann) als «Schlüssselfach der europäischen Tradition» ... Die Schüler/innen gewinnen einen selbständigen Zugang zu lateinischen Texten (prinzipiell) aller Jahrhunderte.»

mum nec non vividum fuit mihi experimentum, quo linguam Latinam verum instrumentum communicationis omnium gentium novi. Cum sodali Hispano e.g. absentibus linguis utrique nostrum communibus Latine tantummodo loqui valueramus. Vero lingua Latina ex multis saeculis Europae incolas in unum coniunxit, consociat etiam nunc. Mirum in modum diversarum nationum, quibus inter nos discrevimus, adiuvante lingua mortua oblitus sum.

Die Iovis autem in sacello Sanctae Otiliae missa sermone Latino celebrata est, cui nos participes seminarii adfueramus.

Quid plura? Novos quoque libros novi, inter quos maioris ponderis fortasse sunt duo: Iosephi Mariae Mir «Nova verba Latina» et P.ris Caelestis Eichen-seer «Collectanea usui linguae Latinae dicata». Cuius sepulcrum ibidem in archiabbatiā positum visere potui.

Sed iam finem commentarioli faciam. Ut generaliter dicam, omnia ibi mihi gaudio fuerunt, omnia profuerunt. Spero fore, ut favente Deo anno proximo redeam.

ALEXIVS SLEDNIKOV